

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0330

0328

0334

0324

0339

0319

0379

0279

0429

0229

0829

Ende

Anfang

317

magister (B) Jordanus, successor beati Dominici, proficis-
ceretur per mare ad visitandum conventum Achonensem, nau-
fragium passus feliciter obiit, mira + coruscus. Sita est
autem civitas illa in fronte nostri maris et in medio Syriae
distatque a Jerusalem non plus quam per XL milliaria italica,
in loco optimo et valde apto; hinc inquam plena erat merca-
toribus occidentalibus et orientalibus, quia fuit quasi fons
omnium mercimoniorum maris, et tam gloriosa facta fuit haec
civitas, quod in orbe non reputabatur ditior.

Sed neque in vitiis et malis ei erat similis. Cum ergo
in flore esset, accidit, ut quidam armigeri de nostris peregrini-
nis quosdam sarracenos caperent mercatores treugarum tem-
pore. Hoc ut Soldanus audivit, collegit maximum exercitum
et civitatem obsedit. Quidam autem Sarracenus in incertum
sagittam jaciens interfecit capitaneum bellum in civitate, ad cu-
jus nutum omnia gerebantur. Quo imperfecto non fuit amplius
ordo et inceperunt fugere in naviculis per mare. Sarraceni
autem non habentes amplius repugnantiam intraverunt et
omnes Christianos jugulaverunt, et omnia deprædati sunt, in
quo excidio LX millia Christianorum referuntur a Sarracenis
in ore gladii percussa, anno Domini 1291. Sicque totus po-
pulus latinus a terra sancta est deletus, praeter illos, qui se
servitio Sarracenorum manciparunt, quos ecclesia excommuni-
cavit.

Cum autem haec nota fierent occiduis partibus, in curia
Romana contristati sunt valde, et summus pontifex Nicolaus
Papa quartus publicari fecit magnas indulgentias crucem as-
sumentibus vel mittentibus in terrae sanctae subsidium, ac
reges et principes exhortatus porrigit manus adjutrices,
fecitque processiones solennes et excommunicationes contra
omnes christicolas mercatores et alios, qui non solum arma
et lignamina, quod jam diu prius fuerat prohibitum, sed qui
different in Alexandriam et alias terras Soldano subjectas
quaecumque mercimonia. Insuper post haec fuerunt etiam
loca sancta interdicta, et prohibitum sub poena excommuni-
cationis, ne quis etiam causa devotionis mare transiret ad
visitandum loca sancta sine Papae licentia. Et haec habentur
in quodam extravaganti.

